DE

DATIVI USU TIBULLIANO.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM MARPURGENSIUM ORDINE

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

H. IBER

HASSO-NASSOVUS.

MARPURGI CATTORUM

MDCCCLXXXVIII.

Corrigenda.

In pag. 1. lin. 8 lege pro „Panegyrium" — „Panegyricum."
In pag. 5. lin. 23 lege pro „Büchler" — „Bücheler."
In pag. 34. No. 4, 5 lege pro „tetraho" — „detraho."

De carminum, quae sub Tibulli nomine traduntur, auctoribus magna fuit inter viros doctos dissensio atque etiam nunc est. Elegias quidem primi et secundi libri a Tibullo compositas esse, nemo est, qui neget, tertium autem librum non esse Tibullianum, ab omnibus fere conceditur, immo auctor horum carminum Lygdamus quidam poeta habetur. Sed de libri quarti elegiarum auctoribus etiam nunc judicium maxime est ambiguum. Ac primum quidem, quod attinet ad Panegyrium in Messallam, sunt, qni Tibullo ascribant in his W. Teuffel in libro, qui inscribitur Römische Lit. Gesch. pag. 514—; alii, et ut mihi quidem videtur, gravioribus causis a Tibullo abjudicant, in quo numero est Dissenius et Bernhardi, qui carmen adolescenti cuidam poetae ascribit.. cf, Grundriss der Röm. Lit. § 95 pag. 615. Sequuntur carmen Panegyricum elegidia nonnulla (IV, 2—14,) quae alii—nomino Dissenium—Tibulliana putant; alii carmina IV, 2—7 Tibullo ascribunt, contra IV, 8—12 Sulpiciae (Teuffel, Gruppe), alii—in his Baehrensius—in ea sunt sententia, ut, quoniam Tibullus amorem aliorum non ita vivide depingere potuerit, elegidia non a Tibullo, sed a poeta optima indole praedito composita esse censeant, de cujus persona certo dijudicari non possit; unum esse revera Tibullianum scilicet IV. 13. Quae cum ita sint, cum in hac dissertatione grammatica usum revera Tibullianum statuere vellem, ea tantummodo carmina accipere mihi visum est Tibulliana, quorum auctor sine ulla dubitatione Tibullus est, scilicet carmina libri I et II et carmen IV. 13; reliqua putavi sejungenda esse Pseudo-Tibulliana.

Prior pars.

Perlegens carmina Tibulli poetam dativum amare repperi eoque in eis ipsis enuntiatis uti, in quibus scriptores latini genetivum vel ablativum cnm praepositione „a“ conjunctum adhibere solent. Qua de causa de usu dativi Tibulliano quaerere ac disputare non alienum mihi visum est.

Sed priusquam de dativi usu Tibulliano recte dijudicari potest, quaerendum esse videtur, quaenam sit dativi indoles ac natura. Fuit enim diu discrimen inter viros doctos, utrum casus exprimant rationes loci an logicas; atque etiamsi de ceteris casibus nunc vix judicium sit ambiguum, tamen de dativo inter se dissentiunt viri docti. Sunt, qui illum casum motum in aliquem locum exprimere velint, quo in numero est praeter ceteros Holzweissigius in libro, qui inscribitur: Wahrheit und Irrtum der localistischen Casustheorie, contra alii, in his Hübschmannius ac praecipue Rumpelius (Zur Casuslehre) dativum casum esse grammaticum confirmant. Is enim, ut hoc praemoneam, in ea est sententia, ut dativum eum casum esse affirmet, ad cujus nomen substantia, si licet dicere, enuntiati pertineat. Dicit enim in l. l. pag. 279: Durch den Dativ wird ein Nomen in eine Disposition gesetzt, in welcher es das Bewusstsein einer auf sich bezogenen Handlung, einer ihm geltenden Satzsubstanz hat. Atque quamvis haec Rumpelii sententia, quod attinet ad dativum graecum, grammatica, quae vocatur, historica, non fulciatur, cum in hunc casum complures confluxerint, tamen convenire mihi videtur in dativum latinum, ut qui manserit casus purus. Ex numero autem eorum, qui dativo motum in aliquem locum exprimi volunt, doctissimus Holzweissigius sententiam suam firmare sibi videtur affinitate dativi et locativi quadam. Alii in nonnullis exemplis non dativum sed locativum statuunt, quod formas horum casuum suspicantnr plane esse easdem, quae sententia exponitur a Schroetero in libro, qui inscribitur. Der Dativ zur Bezeichnung der Richtung in der lateinischen Dichtersprache. Sagan 1873.

Ac primum quidem de Holzweissigio dicendum erit. Is enim in l. l. pag. 29 dativum ex ipso locativo casu productione vocalis „i“ originem ducere suspicatur. Locativo enim vel quietem in aliquo loco vel motum in locum aliquem initio exprimi censet h. e. directionem generalem. Cui opinioni repugnare videtur, quod nunquam motus ex aliquo loco exprímitur locativo, quod quidem fit ablativo. Nec tamen, etiamsi locativus directionem generalem exprimeret, dativum ex locativo productione vocalis, „i“ ortum esse putaverim. Nam si omnino ex locativo dativus exstitisset, qui de Holzweissigii sententia motum in locum exprimit, nempe, ut videtur, jam eis temporibus, quibus dativus ortus esset, locativo quietem in loco praecipue significari oportebat. Quod si erat, productione vocalis „i“ notio quietis ut in motum immutaretur fieri omnino non potuit, cum productione vocalis nihil nisi quies aucta, at nullo modo motus exprimi posset, dummodo locativo quies significaretur.

Ceterum Holzweissigius ipse in pag. 74 confitetur, dativum rarissime meram directionem exprimere, sed plerumque occurrere notione translata. Denique in p. 75 dicit: „Der lateinische Dativ, durch den Sprachgebrauch fast nur in übertragener, höchst selten in räumlicher Bedeutung gebraucht, verbindet sich nie mit einer Präposition.“ Hoc sane gravissimum est momentnm et dativum vetat haberi casum localem. Causa vero, quam Holzweissigius profert, mihi non probatur. Nam ablativus, qui et ipse notione translata usurpatur—nomino ablativum causae, qui vocatur—nihilominus saepissime cum praepositione conjungitur. Sed ne potuit quidem dativus conjungi cum praepositione, quia non est casus localis sed grammaticus.

Sed jam ad Schroeteri sententiam transeamus cognoscendam. Is enim, qui in universum quidem dativum non videtur existimare casum localem, in iis exemplis, quae de multorum virorum sententia motum exprimunt, casum non dativum sed locativum esse suspicatur, e. g. in verbis, quae sunt „Orco demissus“ non dativum esse Orco sed locativum. Nec tamen hujus sententiae argumenta nobis probantur, etsi A. Draeger in libro, qui inscribitur „Historische Syntax“ tom, I. pag. 427

consentire videtur. Sumit enim Schroeter formam „caelo“ ex „caelo—i“ ortam graecis formis χαμαί — οἴκοι respondere, quod sane concedi non potest. Namque graecae formae, quae est οἴκοι secundum latinas leges phoneticas respondet „caeli,“ quod elucet ex forma „humi“ et terminatione nominativi pluralis declinationis secundae, quae est „i“ ex „o—i“ orta. Latinum autem „caelo“ ex „caelo—i“ ortum cum graeca forma οἴκω-ι = οἴκῳ comparandum est (Bücheler Grundriss pag. 55.)

Quodsi vidimus formas secundae declinationis locativo ascribi non posse, ne in prima aut tertia quidem declinatione locativos sumemus, praesertim cum, quod attinet ad sensum enuntiati, ut infra videbimus, opus non sit locativos statuere, quamquam concedendum videtur, formam quae est „terrae“, quae locativus casus esse potest, nonnunquam localem notionem praebere posse (cf. Draeger H. S. I. 572).

Nunc transeamus ad singulos locos a Schroetero laudatos et elucebit, dativum multo vividiorem ac nervosiorem poetaque digniorem esse locali significatione.

„Habent Tartara Panthoiden iterum Orco demissum“ (Hor. carm. I. 28. 11), „Der zum zweitenmale in den Orcus hinabgestiegen ist,“ ut ait Schroeter. Sed vidimus, formam, quae est Orco, locativum esse non posse, nec concedendum est, locativum motum quoque in locum exprimere (Büchler l. l. pag. 60), denique animosior est dativus quam significatio mera localis. Si quis dicit: „Orco demissus“ (dat.), Orcus non modo cogitatur locus, ad quem motus dirigitur, sed ipse cogitatur is, ad quem, h. e. ad cujus animum actio mittendi pertinet. Orcus quasi cogitatur is, qui aliquem iterum potestatis suae facit.

Idem valet de Hor. Sat. II. 5. 49: „Si quis casus puerum Orco miserit.“ In his verbis inest, si quis casus puerum miserit Orco, non in Orcum; non enim agitur de directione itineris, sed dicere vult poeta: Si Orcus puerum arripuerit. Hoc cogitamus illa verba legentes. Idem pertinet ad Aen. II. 398 et IX. 785:

„Averno“: facilis descensus Averno.

(Verg. Aen. VI. 116) Hic locus est difficillimus, cum dativus a substantivo solo dependens rarus sit nec congruere videatur cum dativi indole. Et profecto, hic dativus habet

aliquid inusitati. Comparari fortasse possunt exempla graeca, quae Rumpelius in l. l. pag. 300—302 tractat; e. g. Plat. Symp. 194 D: *ἀναγκαῖον ἐπιμελήθῆναι τοῦ ἐγκωμίου Ἔρωτι.* Putaverim rem esse ita intellegendam, ut sit „descensus Averno" similiter dictum atque illud: *τὰ Ταντάλου θεοῖσιν ἐστιάματα.* (cf. Rumpelii l. l. pag. 302), deficiente quidem articulo, quo lingua latina caret, ut igitur sententia sit: „Das den Toten geltende Hinabsteigen." Non igitur locus notatur, sed ii significantur, qui locum incolunt. Cf. Forbigeri adnotationem ad hunc locum.

„Caelo". Hor. carm. III. 23. 1.

„Caelo supinas si tuleris manus." Hoc loco caelum non significat locum, sed deos, ac respondet haec structura illi graecae: „*θεοῖσι δὲ χεῖρας ἀνέσχον.*" Idem valet de loco, qui exstat in Ovid. Met. II: 580: „tendebam brachia caelo." Nonnunquam sane scriptores directionem structura exprimunt, quod elucet ex Caes. b. g. II. 13; b. c. II. 25, ubi legitur: „manus ad Caesarem tendere" et „ad caelum manus tenderent"

Quod attinet ad materiam, ut ita dicam, enuntiati, nihil videlicet inter dativum et structuram localem interest; structurae vero ipsae valde inter se differunt. Si dico: „deis tollo manus", dei ipsi cogitantur affecti precibus meis; quod contra si dico „tollo manus ad deos", structura nihil exprimitur nisi directio quaedam, et cogitando demum et considerando reperimus manibus sublatis preces significari deosque ipsos his precibus peti.

„Ponto." (Hor. carm. I. 12. 31.)

„Ponto unda recumbit"

Nauckius formam, quae est Ponto, ablativum putat esse, ita ut ponto sit idem, quod in ponto et comparat cum his verbis locum illum Vergilianum „procumbit humi bos." Sed et hoc loco formam ponto putaverim dativum esse. Unda recumbit mari, mare eam quasi excipiet suam et sic consentaneum est, undam ad mare labi debere. Nec tamen hoc subest structurae sed cogitato.

„Exitio." (Hor. carm. I. 16. 17)

„Irae Thyesten exitio gravi stravere."

Hoc loco sine dubio ablativus est statuendus, quod et

ipse Nauckius sumit. Quae sententia fulcitur adjectivo „gravi“ apposito, quoniam cum locativo nunquam adjectivnm conjungitur. (Cf. Handb. für Altertums-Wissenschaften pag. 276)

„Oceano“ (Verg. Georg. II. 481)

„Oceano properant se tinguere soles.“

Sed hoc loco plane non est, cur motus in locum postuletur. Verbum tinguendi nihil notat nisi, ut vernaculis verbis utar, „benetzen.“ Quae cum ita sint, verba laudata significant: Soles properant se tinguere aqua. Oceano igitur est ablativus instrumenti.

Schroeter pergit in pag. 6: „Selbst in Personenbezeichnungen und persönlichen Eigennamen findet sich in dieser Bedeutung der Dativ gebraucht.“ e. g. Verg. Aen. II. 456: puerum avo trahebat: er zog den Knaben zum Grossvater hin.“ (Ceterum vertendum non est „er zog“ sed „sie zog;“ loquitur enim poeta de Andromacha.) Sed quoniam vidimus ne in exemplis quidem laudatis opus esse locativum statuere, multo minus opus est, si nomen dativi significat personam. Non igitur ad avum trahitur puer, sed avo, cui nepos gaudio est.

Deinde Schroeter formas tertiae declinationis enumerat, e quo numero commemoro has:

1) morti (Plaut. Capt. III. 5. 8)

„morti misero“

„morti demittere“ (Verg. Aen. V. 691)

2) neci (Verg. Aen. II. 85)

„Insontem demisere neci.“

3) nocti (Ovid. Met. III. 695)

„Corpora Stygiae demittere nocti.“

Sed valet de his formis idem, quod supra de forma „Orco“ etc. diximus; quin etiam eadem verba mittendi, quae supra repperimus, cum his conjuncta legimus.

Urbi (Verg. Aen. II. 47)

„Machina ventura desuper urbi.“

Schroeter vertit: „Die von oben in die Stadt eindringen wird;“ quod quidem cum sententia enuntiati congruit, at non cum structura. Immo verba eodem usurpata sunt modo, ut in Tibulli elegiae primae versu 59: „suprema mihi cum venerit hora.“ Laocoon igitur, de quo in nostro loco Vergiliano

sermo est, non profecto in universum directionem veniendi exprimere vult, sed equum urbi venturum esse eundemque perniciei, nam timeo, inquit, Danaos ac dona ferentes. Dativus solus in hunc locum quadrat, minime locativus, qui maxime jejunus esset

Quin etiam declinationi quartae Schroeter locativum vindicat in versu Verg. Aen. VIII, 451: „tinguunt aera lacu," „lacu" ex forma lacu—i ortum censens. Sed de hac forma idem valet, quod supra monuimus sub verbo, quod est Oceano. Omnino locativus quartae declinationis non reperitur. (Bücheler Grundr. p. 62). Sed longum est omnes locos a Schroetero laudatos enumerare. Ex his, quos commemoravimus, satis elucet, non modo opus non esse locativum pro dativo statuere, sed etiam hunc multo esse illo vividiorem poetaque digniorem. Ut meam denique sententiam proferam, plane comprobo, quod attinet ad dativum latinum, Rumpelii sententiam in pagina tertia supra laudatam. Est igitur dativus casus, cujus nomen aequo pondere oppositum subjecto agenti ex hujus voluntate actione ipsa commovetur. Opponuntur autem nomen dativi et subjectum ita, ut alterum alterius animum permovens cogitetur. Unde fit, ut utrumque nomen, etiamsi non notet personam, tamen aliqua ex parte cogitetur persona. Itaque dativus a poetis elegiographis libentissime adhibetur, qui animi permotiones personarum depingere solent, quique ob eam causam dativo etiam in eis enuntiatis utuntur, in quibus secundum severas leges rationis ac mentis scriptores prosaici genetivum vel ablativum cum praepositione conjunctum usurpant.

Altera pars.

Cum dativus non cum verbo solo conjungatur sed cum subjecto et praedicato unitis, quod Rumpelius vocat „die Satzsubstanz," sequitur, dativum cum eis tantummodo verbis conjungi posse, quae subjectum et praedicatum in se contineant, qualia sunt intransitiva. Transitiva autem cum dativo conjungere licet, si notio verbalis addito objecto suppletur. Denique dativum cum substantivis, adjectivis, adverbiis, interjectionibus conjunctum reperiemus.

Ac primum quidem de verbis intransitivis disseremus et tractabimus:

I. de verbo substantivo
II. de verbis intransitivis simplicibus
III. de intransitivis compositis.

I. De verbo substantivo.

a) Ac primum quidem liceat exempla, quae invenimus, secundum editionem Mülleri (1877) adhibitis editionibus Hilleri et Baehrensii enumerare ita quidem, ut locos Tibullianos libri I, II, et IV. 13 a Pseudotibullianis, qui vocantur, sejungamus. Cum elocutione Tibulliana ubique Vergilianam comparabimus, in quo negotio usi sumus dissertasione Dittelii, quae inscribitur: „Der Dativ bei Vergil."

1. Loci Tibulliani:

I.	1. 15.	Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona.
I.	2. 12.	Capiti sint precor illa meo.
I.	2. 74.	Sit mihi somnus.
I.	3. 5.	Non hic mihi mater.
I.	4. 37.	Solis aeternast Baccho Phoeboque juventas.
I.	4. 77.	Gloria cuique suast.
I.	6. 3.	Quid tibi saevitiae mecumst?
I.	7. 43.	Non tibi sunt tristes curae.
I.	5. 61	Pauper erit praesto semper tibi.
I.	8. 51.	Non illi sontica causa est.

II. 3. 55. Illi sint comites fusci.
II. 5. 64. Sit mihi virginitas.
II. 5. 121. Sic tibi sint intonsi, Phoebe, capilli.
II. 5. 122. Sic tua perpetuo sit tibi casta soror.
II. 6. 10. Et mihi snnt vires.
IV. 13. 11. Tu mihi curarum reqnies.

2. Loci Pseudotibulliani:

III. 2. 5. Non haec patientia nostro ingenio.
III. 4. 88. Cui tres sunt linguae.
III. 6. 1. Sic sit tibi mystica vitis.
IV. 1. 34. Sed erunt tibi magna volumina.
IV. 1. 40. Tibi laus maiorve minorve.
IV. 1. 136. Non idem tibi sint aliisque triumphi.
IV. 1. 179. Est tibi Valgius.
IV. 1. 182. Ut mos est illi.
IV. 1. 198. Nostri si parvola cura sit tibi.
IV. 3. 3. Nec tibi sit duros acuisse in proelia dentes.
IV. 4. 16. Salva puella tibist.

b) verba composita.

1. Tib.

I. 3. 90. Missus adesse tibi.
I. 5. 2. Mihi nunc gloria fortis abest.
I. 5. 47. Quid adest huic dives amator.
I. 6. 34. Frustra clavis inest foribus.

2. Pseudo-Tib.

III. 4. 84. Nec tantum crimen pectore inesse tuo.
III. 6. 29, Superest tibi cura.
III. 6. 49. Nulla fides inerit.
IV. 1. 100. Tibi non desit faciem componere pugnae.
IV. 5. 6. Si tibi mutuus ignis adest.
IV. 6. 20. Hic idem votis jam vetus adsit amor.

Videmus ex his exemplis, Tibullum verbum substantivum cum dativo pronominis plerumque primae et secundae personae conjungere solere ac semel cum dativo vocis, quae est caput

cui quidem pronomen primae personae additur, ita ut circumscriptio primae personae accipi possit (capiti meo-mihi). Uno tantummodo loco legitur dativus nominis proprii (I. 4. 37) et semel dativus, qui est „cuique" (I. 4. 77). Denique in versu I. 6. 3 solo exstat „est mihi aliquid cum aliquo," quae structura apud Propertium saepius occurrit (cf. Hoerle de casuum usu Propertiano pag. 37).

Quod attinet ad usum verbi substantivi, qualis perspicitur in carminibus Pseudo-Tibullianis, non multum differt ab elocutione Tibulli. Inveniuntur enim in illis quoque dativi plerumque primae et secundae personae, et loco Tib. I. 2. 12. (capiti) respondet, III. 2. 5· (ingenio) et cum versu I. 4. 77 (cuique) comparamus III. 4. 88 (cui) et IV. 1. 182 (illi). Sed hac re differunt, quod in versu IV. 3. 3. subjectum est infinitivus, qui usus apud Tibullum non reperitur. Idem valet de versu IV. 1. 100.

De verbis compositis hoc fere monendum videtur. Tibullus verbum, quod est adesse, abesse, inesse conjungit cum dativo personae (I, 3. 90; I. 5, 47; I. 5. 2) et semel rei (I. 6. 34), in versu autem I. 9. 51 legitur „tu procul hinc absis," quod respondet ablativo. In carminibus Pseudo-Tib. verbis compositis apponitur dativus vel personae (III. 6. 29; IV. 1. 100, IV. 5. 6) vel rei (IV. 6. 20) verbum autem „inesse" et construitur absolute (III. 5. 49) et cum ablativo (III. 4. 84) „pectore inesse tuo," ubi non est, cur codicem Vat. m. 1. sequamur, qui praebet „pectori," Cf. de hac re Dissenium pag. 358.

Verbum autem, quod est „esse," in omnibus locis allatis plenum est verbum suqstantivum et significat „sein, dasein, gegeben sein," et praedicat rem aliquam adesse et ad nomen dativi pertinere, ejusque animum petere, sicut in versu I. 1. 15:

„Flava Ceres, tibi sit corona spicea." Non enim simpliciter possessio exprimitur; nam is, qui dat, deam propitiam sibi reddere vult et dea scit, quid ille velit, scilicet: „frugum semper acervos praebeat." Quis non videt hanc intimam necessitudinem, quae intercedit inter nomen dativi et coronam spiceam, quasi interpretem precum ejus, qui dat? Hic dativus est frequentissimus apud Tibullum elegiacum, qui eo in eis

quoque enuntiatis utitur, in quibus scriptores prosaici genetivum vel pronomen possessivum adhibent. Refero exempla haec:

I. 3. 5. Non hic mihi mater.
I. 4. 4. Non tibi culta comast.
II. 3. 55. Illi sunt comites fusci.
II. 5. 121. Sic tibi sint intonsi capilli.

Nec solum verbum substantivum tali modo adhibetur, sed alia multa. Affero haec: 1. despuo, 2. decoro, 3. decresco 4. Exploro, 5. floreo, 6. fluo, 7. fulgeo, 8. remitto, 9. sto, 10. suppono, 11. valeo, 12. venio.

Loci autem sunt hi:

I. 2. 96. Despuit in molles et sibi quisque sinus.
II. 2. 6. Cui decorent sanctas mollia serta comas.
II. 5. 31. Cui semper decrescit arundinis ordo.
II. 1. 78. Explorat caecas cui manus ante vias.
I. 8. 47. Floret tibi temporis aetas.
I. 6. 40. Et fluit effuso cui toga laxa sinu.
I. 8. 31. Cui levia fulgent ora.
II. 4. 4. Misero vincla remittit amor.
I. 1. 64. Neque in tenero stat tibi corde silex.
I. 8. 33. Huic tu candentes humero suppone lacertos.
I. 10. 56. Flet sibi dementes tam valuisse manus.
I. 1. 59. Suprema mihi cum venerit hora.

Tibullus in talibus enuntiatis nunquam genetivum „hujus" vel „cujus" adhibet, genetivo autem „illius" utitur, sicut in versu I. 7. 51. Illius et nitido stillent unguenta capillo, itemque in versu II. 2. 7.

Perraro ab hac lege recedit et pronomen possessivum usurpat, e. g. I. 1. 63: „Non tua sunt duro praecordia vincta." Ac si quaeramus, quid intersit inter dativum et genetivum, facile reperiemus, dativo personam cum gravitate quadam opponi subjecto grammatico eaque re dictionem multo fieri vividiorem. Nam si quis dicit: „cui fluit toga" in animo opponit subjecto, quod est toga, aequo pondere personam (cui), neque solum cogitat de toga sed etiam de eo, cujus est toga. Contra si quis dicit: „Illius et nitido stillent unguenta capillo" genetivus nihil valet, nisi ut substantivum (capillo) determinet. Dativo autem utique persona praedicatur ob eamque causam

elegia eum amat. Omnino Tibullum notionem personalem urgere solere, inde quoque elucet, quod saepius adjectivo pro adverbio utitur. Vult igitur poeta non simpliciter modum proferre, quo quid fiat, sed etiam statum et qualitatem personae depingere, qui quasi fons est rationis agendi. Satis videtur pauca commemoravisse:

I. 3. 16. Quaerebam anxius.
I. 5. 33. Sedula curet.
I. 6. 6 Callida fovet.
II. 1. 89. Venit tacitus.

Similiter atque apud Tibullum etiam in carminibus Pseudo-Tibullianis dativus legitur pro genetivo vel pronomine possessivo; e. g:

III. 4. 63. Mens est mutabilis illis.
IV. 1. 136. Non idem tibi sint aliisque triumphi.
IV. I. 182. Ut mos est illi.

Nec solum verbum substantivum tali modo adhibetur sed etiam alia, e. g.

cado: IV. 2 4. Ne tibi miranti arma cadant.
eo: III. 4. 54. Quae tibi securos non sinit ire dies.
pasco: IV. 1. 186. Cuique pecus pascebant.
sono: III. 6. 36. Nec bene sollicitis ebria verba sonant.

Pro dativo nonnunquam variationis gratia locum habet pronomen possessivum, e. g. IV. 7. 4. „Attulit in nostrum sinum“, genetivus autem pronominis relativi vel demonstrativi in his carminibus non reperitur. Vergilius cum Tibullo in adhibendo hoc dativo plerumque consentit ac praecipue uterque pro genetivo utitur dativo. Vergilius autem eo ab elocutione Tibulli differt, quod nonnunquam genetivum pronominis relativi ponit e. g. Aen. 437: „O fortunati, quorum jam moenia surgunt.“

Verbum igitur substantivum significat „dasein, gegeben sein“ et haec notio clare perspicitur, si subjectum est infinitivus, sicut in versu IV. 3. 2: „Nec tibi sit duros acuisse in proelia dentes.“ Quomodo autem re, quae est, nomen dativi afficiatur, non structura exprimitur, sed sententia enuntiati. Utrum igitur re praedicata efficiatur, ut nomen dativi sit judicans an possidens, an animo affectum an particeps

commodi, hoc non subest structurae sed cogitato. Sane materiam enuntiati si respexerimus, dativo ipsam possessionem saepius expressam inveniemus, cui tum nonnunquam additur pronomen possessivum, sicut in versu II. 5. 122: „Sic tua perpetuo sit tibi casta soror." Cf. Verg. Ecl. III. 62: „Phoebo sua semper apud me munera sunt." Quod autem possidetur, vel esse potest res, e. g. II. 5. 121. „Sic tibi sint intonsi, Phoebe, capilli", vel qualitas (I. 4. 37. „Solis aeternast Baccho Phoeboque juventas"), vel possessio mentis I. 8. 51: „Non illi sontica causast." Draeger docet in l. l. I. p. 434: „Dass bei Klassikern nur der sachliche Besitz, nicht eine Eigenschaft oder Bestandtheil durch den Dativ bezeichnet wird, dass aber schon Sallust abweicht." Etiam Tibullus complura hujus usus exempla praebet:

I. 4. 77. Gloria cuique suast.
I. 7. 43. Non tibi sunt tristes curae.
I. 8. 51. Non illi sontica causast.

2. „Esse" conjunctum cum dativo duplici.

Dativus duplex, qui vocatur, apud Tibullum perraro legitur; bis hunc usum inveni et bis pro dativo rei exstat nominativus.

Exempla sunt haec:

1. loci Tibulli.

I. 5. 29. Illi sint omnia curae.
II. 3. 43. Cui lapis externus curaest.
I. 9. 51. Cui formam vendere curast.
II. 3. 31. Sed cui sua cura puellast.

2. loci Pseudo-Tibulliani.

III. 2. 7. Nec mihi vera loqui pudor est.
IV. 12. 1. Ne tibi sim, mea lux, aeque jam fervida cura.

His exemplis elucet, Tibullum dativo duplici non favere, sed pro dativo rei pari numero nominativum adhibere et omnino nisi verbi curae dativum duplicem non admittere. Et nominativo quidem utitur, ubi subjectum est infinitivus. Semel uterque dativus et personae et rei evitatur in v. I. 6. 4. „An gloria magnast insidias homini composuisse deum", ubi pro dativo rei exstat nominativus et pro dativo personae

constructio infinitivi. Fortasse haec structura a poeta recepta est, ut clarior ac dilucidior fieret dictio; nam si dixisset: gloriae est magnae deo homini insidias composuisse, dubium esset, quinam dativus cum verbo componendi arctius cohaereret.

In Pseudo-Tibullianis dativum duplicem non inveni, sed pro dativo finali, qui vocatur, exstat nominativus. Ac primum quidem similiter atque apud Tibullum legitur nominativus, ubi infinitivus subjecti locum habet (III. 2. 7), deinde ubi nomen metaphorice personam significat (IV. 12. 1). Item Propertius saepius pro dativo finali utitur nominativo (cf. Hoerle l. l. p. 47). Apud Vergilium denique dativus duplex saepius occurrit quam dativus personae cum nominativo rei conjunctus (cf. exempla a Dittelio laudata, i. pag. 21). In talibus igitur enuntiatis legitur apud Vergilium dativus, qui est: auxilio, cordi, curae, decori, dono, exitio, irae, odio, apud Tibullum tantummodo dativus, qui est curae, obvenit, in Pseudo-Tibullianis nihil ejusmodi occurrit.

Ac si de origine dativi duplicis quaeramus, a simplici videtur ortus parique modo cum re praedicata conjunctus esse dativus uterque. Observari autem potest, nomina dativi rei plerumque aliquid significare, quod vel in persona est vel in ea conspicitur, ita ut, quod nomine personae parum definite praedicatur, addito nomine rei specialiter, si licet dicere, praedicetur. Qua de causa, ut videtur, lingua latina eis praecipue nominibus utitur, quae affectus animi vel cogitationes significant, id quod monuit Nieländer in utilissima programmatis Krotoschinensis dissertatione, quae inscribitur: „Der factitive Dativus in den Ciceronianischen Schriften (pag. 7). Talia enim significant aliquid, quod est in aliqua persona. Id autem, quod praedicatur, pari modo utrique nomini apponitur et quasi iteratur, nec tamen effectus praedicati in diversas partes dirigitur, sed ad unam, scilicet ad personam. In enuntiato igitur: res aliqua mihi est curae, primum quidem id, quod praedicatur, pertinet ad personam (mihi) ac deinde, iterata quasi re praedicata, specialiter ad rem spectat, quae est in eadem persona. Sententia igitur haec est: „Eine Sache ist für mich da und zwar ist sie da für (meine) Sorge.“ Similis est structura verbi supponendi in I. 8. 33: „Huic

tu candentes humero suppone lacertos.“ Comparari quoque potest graecum illud: „τί σε φρένας ἵκετο πένθος.“

Postquam tractatum est de verbo substantivo, hoc loco liceat disserere de verbis, quae similem atque illud praebent notionem; scilicet de verbis, quae sunt: fio, nascor, niteo, sto, valeo, venio, vivo.

1. fio.

II. 3. 16. Est via facta sero.
II. 6. 1. Tenero quid fiet Amori?
II. 6. 10. Et mihi facta tubast.

Quod attinet ad II. 6. 1. Huschkius „Amore“ scribendum vult. Nec tamen opus est, nam Dissenius ad hunc locum alia exempla laudavit, etiamsi ablativus saepius usurpatur. Egit de hac re Draeger I. 561. In hoc versu notio verbi est: „qualis sors futura est?“ Contra in versu Pseudo-Tib. IV. 6. 14 notio ei subest immolandi et construitur cum dativo personae et ablativo instrumenti, qui vocatur. Etiam hic usus rarus est teste Draegero in l. l. I. 547. (cf. Verg. Ecl. III. 75: „Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.“)

2. nascor.

I. 10. 3. Tum caedes hominum generi nata.
II. 2. 15. Quidquid felicibus Indis nascitur.
(cf. Verg. Aen. VII. 44: „Mihi nascitur ordo.“)

3. niteo.

I. 4. 4. Non tibi barba nitet.

4. sto.

I. 1. 64. In tenero stat tibi corde silex.
I. 4. 14. At illi . . . stat pudor ante genas.
II. 6. 38. Maestaque sopitae stet soror ante torum.

Ter igitur dativus personae exstat pro genetivo; praeterea verbum standi augetur additamento locali: vel praepositione, quae est „in“ vel „ante.“

5. valeo, 6. vivo.

I. 10. 56. Flet sibi dementes tam valuisse manus.
II. 4. 2. Jam mihi, libertas illa paterna, vale.

Hic dativus ethicus, qui vocatur, ex simplici dativi indole intellegendus est. Subest dativo in priore versu aliquid aegri-

tudinis ac doloris, in posteriore aliquid tranquillitatis ac moderationis animi, in versu autem I. 6, 63, „Vive diu mihi dulcis anus“ aliquid gratiae atque amicitiae. Diserte de hac re egit Rumpelius in l. l. p. 284 et 285. Hic dativus etiam apud Vergilium persaepe occurrit. (cf. Dittelii: l. l. p. 21).

7, venio.

I; 1. 59. Suprema mihi cum venerit hora.
I. 3. 65: Cuicunque rapax mors venit amanti.
I. 5. 48. Venit in exitium callida lena meum.
I. 9. 43. Saepe insperanti venit tibi munere nostro.
I. 10. 67. At nobis, pax alma, veni.
II. 1. 87. Veni dapibus festis.
II. 1. 90. Postque venit tacitus somnus.
II. 4, 43. Seu veniet tibi mors.
II. 5. 46. Tandem ad Trojanos diva superba venit.

Dativus igitur personae apud Tibullum frequentissimus est. Semel pro dativo personae exstat praepositio, quae est „ad“ (II. 5, 46), semel pronomen possessivum (cf. pag. 21 s. f.) Effectus actionis vel consilium exprimitur in versu I. 5. 48 praepositione „in“ cum accusativo conjuncta.“ (cf. Forbigeri adnotationem ad Verg. Aen. XII. 854: „Inque omen Juturnae occurrere jussit.“) In versu denique II. 1. 90 verbum absolute usurpatur.

8. maneo.

IV. 13. 21. Tuus usque manebo.

Hoc loco pro dativo, qui neque in Tibullianis neque in Pseudo-Tibullianis obvenit, positum est pronomen possessivum. Comparare possumus IV. 4. 17 „At nunc tota tuast.“ Praeterea verbum cum accusativo construitur, ubi ei notio subest exspectandi sicut in versu I. 6. 61: „manet me“ et I. 8. 77: „At te poena manet.“

b) loci Pseudo-Tibulliani

fio IV, 6. 14. Ter tibi fit libo (cf, pag. 16)
nascor III. 2. 8. Tot mala perpessae taedia nata meae.
venio III. 2. 11. Ante meum veniat rogum.
IV. 9. 4. Qui nec opinanti nunc tibi venit.

Verbum veniendi construitur vel cum dativo personae IV. 9. 4 vel cum praepositione, quae est „ante" et nomine rei (III. 2. 11), quod raro fieri assolet verbo motum significante. (Draeger l. l. I. 598.)

Vergilius denique exempla hujus usus praebet complura et occurrunt verba, quae sunt: fio, nascor (Aen. VII. 44), maneo (vel cum dativo Aen. I. 257: „Manent fata tibi," vel cum accusativo Aen. X. 630. „Nunc manet insontem gravis exitus."), sto (Aen. X. 467 „Stat sua cuique dies"), venio (Aen. XI. 733 ‚Quae tanta animis ignavia venit.")

II. De verbis intransitivis simplicibus.

1. cado.

a) Tib.: I. 1. 23. Agna cadet vobis.
I. 6. 85. Haec aliis maledicta cadant.

b) Ps.-Tib.: III. 5. 18. Cum cecidit fato consul uterque pari
IV. 1. 15. Taurus cadit hostia.
IV. 2. 4. Ne tibi miranti turpiter arma cadant.

Verbum cadendi apud Tibullum cum dativo personae conjungitur, in carminibus autem Ps.-Tib. partim absolute (IV. 1. 15) partim cum dativo personae (IV. 2. 4) vel rei (III. 5. 18), ubi dativus similis est tertio casui cum passivis conjuncto, de quo infra videbimus. Notio autem dativi est partim commodi (I. 1. 23: sed multo plus inesse, docent verba sequentia: „ io messes et bona vina date.") partim incommodi (I. 6. 85). Cum hoc usu Tibulliano comparare possumus Aen. I. 334: „Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra.") sed in Ecl. IX. 17 exstat: „Heu, cadit in quemquam tantum scelus?" ubi verbo notio subest conveniendi. Forbiger ad h. l. alia hujus usus exempla e Cicerone et Plinio repetita laudat.

2. cedo.

Apud Tibullum duobus locis exstat: I. 4. 40: Tu cedas, ubi verbo notio subest obsequendi et IV. 13. 17: „Mea pignora cedo" In carminibus Ps.-Tib. hoc verbum cum dativo conjungitur IV. 10. 6: „Ne cedam ignoto, maxima causa, toro" (codex A praebet non recte „credam," codices inter-

polati „cedam", quod recipiendum est); cum accusativo autem IV. 13. 17: „Mea pignora cedo" h. e. „mea pignora trado" apud Tibullum. Apud Vergilium et construitur absolute: Aen. II. 804, et cum dativo Aen. III. 297: „cessisse marito", et cum ablativo Aen. IX 220: „Loco sententia cedit", quae formula est militaris et gladiatoria. Cf. Forbigeri adnotationem ad hunc locum.

3. certo.

Apud Tibullum cum dativo conjunctum non repperi, sed cum infinitivo: II. 3. 57: „Illi selectos certent praebere colores Africa puniceum purpureumque Tyros."

In Ps.-Tib. autem verbum sequitur dativus: IV. 1. 120: „Quis Amythaonius nequeat certare Melampus." Itemque apud Vergilium exempla hujus usus occurrunt complura: Ecl. V. 8: „Solus tibi certat Amyntas." Ecl. VIII. 55: „Certent et cycnis ululae." Idem est usus verbi pugnandi in Aen. IV. 38: „Placitone pugnabis amori." Verisimile est hunc usum dativi exstitisse ad analogiam linguae graecae. Cf. Forbigeri adnotationem ad Ecl. V. 8.

4. credo.

Hoc verbum notione intransitiva cum dativo conjunctum est apud Tibullum: I. 2. 41: „Nec tamen huic conjunx credet tuus", in Pseudo-Tib.: III. 4. 12 et IV. 4. 3: „Mendaci somno credere sive volent." „Crede mihi." De verbo transitivo infra videbimus.

Hic usus est quoque Vergilianus: Ecl. III. 94: „Non bene ripae creditur." Aen. VIII. 140: „Auditis si quidquam credimus." Semel forma, quae est credita, exstat pro dictione: cui non creditur, in Aen. II. 247: „Aperit Cassandra futuris Ora, dei jussu non umquam credita Teucris." Cf. Forbigeri adnotationem ad hunc locum, qui alia hujus usus exempla laudat multa.

6. displiceo.

Apud Tibullum verbum displicendi cum dativo conjungitur ubique: Duo loci sunt hi:

Tib. I. 8. 75: Nunc displicet illi . . . janua.
IV. 12. 6: Displiceas aliis.

8. faveo.

a) Tib. I. 2. 17. Illa favet.
I. 4. 72. Fletibus illa favet.
II. 5. 1. Phoebe, fave.
II. 5. 110. Et faveo morbo.
IV. 13. 24. Supplicibusque favet.

b) Ps.-Tib. III. 3. 34. Faveas votis.
III. 4. 43. Casto nam rite poetae . . favent.
III. 6. 9. Proposito faveatis amici.
IV. 5. 9. Votisque faveto.
IV. 6. 7. At tu, sancta, fave.

Apud Tibullum igitur praeter IV. 13. 24 verbum favendi cum dativo personae non conjungitur, sed aut cum dativo rei (I. 4. 72, II. 5. 110) aut plerumque absolute usurpatur. (I. 2. 17, II. 5. 1, II. 1. 1, II. 2. 2.) Structurae autem versus II. 2. 2: „Quisquis ades, lingua, vir mulierque, fave“ respondet illud Horatianum Od. III. 1. 2: „favete linguis“ et Vergilianum Aen. V. 71: „Ore favete omnes.“

Ceterum verbum favendi cum dativo ab omnibus scriptoribus conjungitur (Draeger l. l. I. p. 403).

9. impero.

Uno tantummodo loco reperitur, videlicet in II. 3. 33: „Cui tristi fronte Cupido imperat“ cum dativo personae conjunctum.

10—11. libet, licet.

I. 4. 39. Tu, puero quodcumque tuo temptare libebit, cedas.
I. 2. 49. Cum libet.
I. 1. 44. Requiescere lecto si licet.
I. 4. 53. Rapias cum cara licebit oscula.
I. 9. 6. Aequumst impune licere numina formosis laedere vestra semel.

Ps.-Tib. IV. 1. 198. Quanta libet.
IV. 1. 94. Seu libeat . . convertere.
IV. 1. 103. Seu libeat cernere.

Hoc praemonendum videtur neque „libet“ neque „licet“ in Ps.-Tib. conjungi cum dativo, excepto uno loco III. 3. 31: „Liceat mihi,“ sed plerumque constructionem infinitivi usurpari (IV. 1. 94, IV. 1. 103), apud Tibullum haec verba aut cum

dativo conjunguntur (I. 4. 39, I. 9. 6) aut absolute usurpantur (I. 2. 49), aut cum infinitivo (I. 1 44) vel conjunctivo (I. 4. 53) exstant. Apud Vergilium utrumque verbum saepenumero cum dativo conjungitur cf. Dittelii l. l. pag. 16).

12. noceo.

a) Tib. I. 2. 29. Non mihi pigra nocent frigora.
I. 4. 2. Ne capiti soles ne noceantque nives.
I. 5. 47. Haec nocuere mihi.
II. 6. 44. Lena nocet nobis.
b) Ps.-Tib. III. 5. 6. Juveni parce nocere dea.

Verbum igitur, ut assolet, cum dativo vel personae vel rei (I. 4. 2.) conjungitur, absolute autem usurpatum est I. 5. 13: „Ne possent saeva nocere somnia.“

13. operor.

II. 1. 9. Omnia sint operata deo.
II. 3. 36. Multis est operata malis.
II. 5. 95. Tunc operata deo pübes.

Verbum plerumque cum dativo personae construitur et partim passivam (II. 1. 9) partim activam (II. 5. 95) notionem praebet, semel dativus est rei (II. 3. 36). Etiam apud Vergilium dativus obvenit (Aen. III. 136).

14. parco.

I. 6. 57. Parco tibi.
I. 1. 34. At vos exiguo pecori parcite.
I. 1. 67. Sed parce solutis crinibus.
I. 2. 33. Parcite luminibus.
I. 2. 97. At mihi parce.
I. 3. 51. Parce pater.
I. 6. 51. Parcite violare puellam.
I. 8. 51. Parce tenero.
II. 5. 114. Vati parce sacro.
II. 6. 29. Parce precor.
III. 5. 6. Parce nocere.
III. 5. 22. Parcite, quicumque tenetis.
Ps.- Tib. IV. 3. 1. Parce meo juveni.

Verbum parcendi conjungitur igitur apud Tibullum et in Ps.-Tib.:
1) cum infinitivo (I. 6. 51; III. 5. 6)
2) absolute usurpatur (I. 3. 51, III. 5. 21)
3) cum dativo construitur: a) personae II. 5. 114, IV. 3. 1, b) rei (I. 1. 67), dativus autem rei in Ps.-Tib. non reperitur

Apud Vergilium denique verbum conjungitur et cum infinitivo: Ecl. III. 94 „Parcite, oves, nimium procedere," et cum dativo: Aen. II. 5. 34: „Iraeque pepercit" (cf. Forbigeri adnotationem ad Aen. I. 257.) Accusativus autem, qui a nonnullis scriptoribus admissus est (Forbigeri adnot. ad Aen. X. 5. 31), apud Tibullum non obvenit.

15. pateo.

I. 2. 9. Janua, jam pateas uni mihi.
I. 4. 78. Cunctis janua nostra patet.
I. 9. 58. Et pateat cupidis.

Idem usus est Vergilianus: Aen. I. 299, In Ps.-Tib. haec structura non obvenit.

16. pareo.

I. 4. 17. Homini docuit parere leones.
I. 4. 75. Pareat ille suae.
I. 9. 9. Freta per parentia ventis.

Ne hoc quidem verbum in Ps.-Tib. reperitur, apud Tibullum plerumque exstat dativus personae (I. 4. 17, I. 4. 75) et semel rei (I. 9. 9) Idem est usus Vergilianus in Aen. X. 176: „cui sidera parent."

16. placeo.

I. 4. 11. Hic placet (I. 4. 50, I. 8. 15)
I. 10. 29. Sic placeam vobis.
II. 1. 13. Casta placent superis.
II. 5. 35. Placitura magistro.
Ps.-Tib. IV. 3. 15. Tunc mihi, tunc placeant silvae.
IV. 6. 6. Cui placuisse velit.

Dativus ubique est personae, in versu autem I. 4. 11 Tibulliano verbum absolute usurpatum est.

17. servio.

I. 2. 97. Semper tibi dedita servit mens.
II. 3. 30. Veneri servire.
Ps.-Tib. IV. 5. 13. Serviat uterque tibi.
IV. 6. 10. Puellae servire.

Et in Tibullianis et in Ps.-Tib. ubique legitur dativus personae.

18. supplico.

Hoc verbum uno loco occurrit et quidem cum dativo personae conjunctum, videlicet in I. 7. 26. Supplicat herba Jovi.

19. ploro.

II. 5. 103. Nam ferus ille suae plorabit sobrius idem.
II. 6. 42. Ploret ut illa semel.

Hoc verbum in his modo locis occurrit duobus et quidem semel absolute (II. 6. 42) ac semel cum dativo personae (II. 5. 103). Contra in versu II. 6. 33. verbum querendi cum praepositione, quae est cum, construitur, quomodo solet usurpari verbum communicandi, videlicet ut communio loquendi notetur. Dissenius non recte videtur dativum cum adjectivo, quod est „ferus,“ conjungere. Sententia enim haec est: Nam ferus ille, qui potus maledicta ingerit puellae, sobrius plorabit suae ac se mente mala fuisse jurabit. Opponuntur igitur „ferus ille potus“ et „sobrius,“ „maledicta ingerit“ et „plorabit.“

III. De intransitivis compositis.

Disserere liceat de his verbis secundum ordinem praepositionum, quibus composita sunt.

a. Loci Tibulliani.

1. adsum.

I. 1. 37. Adsitis, divi.
I. 3. 90. Sed videar caelo missus adesse tibi:
I. 4. 13. Quia fortis adest audacia.
I. 5. 47. Quod adest huic dives amator.
I. 7. 49. Huc ades.
II. 1. 1. Quisquis adest, faveat.

2. accumbo.

I. 9. 75. Huic tamen accubuit.

3. adflo.

II. 1. 80. Cui placidus leniter adflat amor.
II. 4. 57. Gregibus Venus adflat amores.

4. adspiro.

II. 1. 35. Adspiraque mihi.
II. 3. 71. Quibus adspirabat Amor.

5. advigilo.

II. 5. 93. Parvo advigilare nepoti.

Verbum igitur, quod est „adsum" vel absolute usurpatur (I. 1. 37; I. 4. 13, I. 7. 49, II. 1 1) vel conjungitur cum dativo notione sive translata (I. 5. 47) sive locali (I. 3. 90) (cf. Verg. Aen. II. 330: „Portis alii bipatentibus adsunt"), quamquam notione locali praepositio, quae est „ad" (cf. Aen. V. 55—57 „ad cineres ipsius et ossa parentis adsumus") vel „in" exstare solet (Draegeri I. 409.) Verbum accumbendi notione ut videtur translata cum dativo conjunctum est a Tibullo et Vergilio Aen. I. 79: „Epulis accumbere," a Plauto et Apulejo etiam cum accusativo (Draegeri I. 377), quam structuram nostro loco praebet codex A Tibullo illam quidem non probatam.

Quod attinet ad verbum adflandi, structura ejus est duplex, videlicet vel cum dativo (II. 1. 80) vel cum accusativo et dativo commodi, qui vocatur (II. 4. 57.) Vergilius et dicit „adflare alicui aliquid (Aen. I. 591: „oculis afflarat honores") et aliquem aliqua re" (Aen. II. 648: „Me fulminis adflavit ventis.") Cf. Draegeri I. 411.

Vox autem adspirandi notione translata cum dativo personae bis conjuncta est. Draeger I. 412 Ciceronem ubique praepositionem quae est ad, adhibere testatur, sed jam inde a Catullo et Vergilio dativum usurpatum esse. Cf. Aen. II. 385: „Adspirat primo fortuna labori" et adnot. Forbigeri ad hunc locum. Verbum denique advigilandi cum dativo personae conjungitur. Expressa autem est notio localis semel praepositione „ante" in versu I. 10. 8. in verbo adstandi: „Adstabat ante dapes." Propertius adhibet praepositionem „super" non dativum e g.: „Volucres adstant super ossa." (Cf. Schnee-

mann. De verborum cum praepositionibus compositorum apud Catullum, Tibullum, Propertium structura pag. 23). In Ps.-Tib. non occurrunt talia composita praeter verbum „adsum" (IV. 5. 6. Si tibi ignis adest) cum dativo vel absolute usurpatum (III. 6. 1., IV. 4. 1.)

2. Con.

1. concido.

I. 2. 62. Concidit ad magicos hostia pulla deos.

2. concumbere.

I. 8. 35. Puero concumbere furtim.
IV. 13. 16. Ante ipsas concubuisse plagas.

3. contingit.

I. 1. 49. Hoc mihi contingat.
I. 3. 33. At mihi contingat.
I 4. 1. Sic umbrosa tibi contingant tecta.

In Ps.-Tib. talia verba cum dativo conjuncta non inveni. Verbum igitur concidendi construitur cum praepositione „ad" notione locali expressa, quamvis dativus personae usitatior sit (cf. „agna cadet vobis.") Dissenius laudat ad hunc locum Ovid. Heroid. I. 26. „ponitur ad patrios barbara praeda deos." — Contingit usurpatum est, ut assolet, et impersonaliter (I. 3. 33) et subjecto addito (I. 1. 49, I. 4. 1). Idem fit apud Vergilium, cf. Dittelii l. l. p. 16 Verbum denique concumbendi semel conjunctum est cum dativo personae (I. 8. 35), ac semel cum praepositione, quae est ante: IV. 13. 16.

3. de.

De verbis Tibullianis, quae sunt „decrescere et despuere" jam tractatum est in pag. 12. Cetera autem verba intransitiva cum praepositione „de', composita et in Tibullianis et in Ps.-Tib. conjunguntur vel cum ablativo solo vel cum praepositionibus „a, de, ex."

4. in.

1. insideo.

I. 2. 70. Insideat celeri conspiciendus equo.

2. insto.

I. 6. 32. Instabat toto cui tua nocte canis.

3, ignosco.

I. 6. 29. Ignosce fatenti.

Loci Pseudo-Tib.

IV. 2. 3: ignosco: Hoc Venus ignoscet.
III. 4. 35: inludo: Talis inludere palla.
IV. 1. 135: insisto: Magnis insistere rebus.

Casus verbo insidendi appositus esse potest dativus, sed dubito, an sit ablativus. Verbum autem instandi, quod significat „feindlich losgehen auf jemand," et ignoscendi, quod in Ps.-Tib. nisi absolute non usurpatur, cum dativo personae conjunctum est. Apud Vergilium vox instandi saepius construitur cum dativo, sed Aen. VIII. 434, cum accusativo (= properare, urgere), cf. Forbigeri adnot. ad hunc locum

5. procumbo.

I. 2. 83. Procumbere templis.

Dissenius complura hujus usus exempla in adnotatione ad hunc locum laudat: e. g: Sulpic. Sat. V. 17, „purae procumbere lymphae."

6. sub.

1. succurro.

Hoc verbum uno loco legitur I, 3. 27: Nunc succurre mihi.

2. succresco.

I. 7. 55. At tibi succrescat proles.

3. succumbo.

I. 8. 8. Succubuisse sibi.

4. subsum.

I. 9. 18. Auro multa subesse mala.
II. 5. 27. Suberat Pan ilicis umbrae.

Huc accedunt duo loci Ps.-Tibulliani, videlicet.

IV. 1. 195: „Subsistere" turmis.
IV. 3. 21: Meo furtim „subrepit" amori.

Haec verborum structura apud alios quoque scriptores usitatur (Draegeri I. 419.) Verbum autem subsistendi apud Tibullum non inveni et vocem subrependi tantummodo absolute usurpatam (I. 1. 71.)

IV. Verba transitiva.

Verbis transitivis dativum apponere, ut jam supra monuimus, licet, si notio verbalis addito accusativo suppleta est. Hoc cadit in omnia verba nunc enumeranda. Quam structuram apud omnes fere omnium temporum scriptores eandem esse, Draeger refert in l. l. I. 402 (§ 182.) Itaque opus non videtur Vergilium et Tibullum ad verba ubique comparare. Pauca tamen monenda erunt.

1. como.

Hoc verbum apud Tibullum non occurrit, sed in Ps.-Tib. IV. 6. 3: „Tibi se laetissima compsit.“ Contra verbi credendi non legitur haec structura in Ps.-Tib.

2. credo.

I. 2. 55. Ille nihil poterit de nobis credere cuiquam.
I. 4. 9. O fuge, te tenerae puerorum credere turbae.
I. 6. 37. At mihi servandam credas.
I. 7. 20. Ratem ventis credere.
II. 6. 21. Spes sulcis credit aratis semina.

Verbum credendi partim notionem praebet „glauben“ et construitur: alicui aliquid de aliquo = einem etwas über einen glauben,“ saepius autem apud Tibullum significat „anvertrauen“ et conjungitur cum dativo ejus personae vel rei, cui aliquis aliquid credit, et accusativo ejus personae vel rei, quae alicui creditur.

3. cano.

a) Tib.: I. 4. 73. Quae canerem Titio.
b) Ps.-Tib.: III. 6. 41. Sic cecinit pro te . . Catullus.
IV. 5. 3. Parcae cecinere puellis servitium.

(Cf. Aen. II. 125: Et mihi jam multi canebant artificis scelus, Aen. III. 438: Junoni cane vota libens.)

Dativus igitur apud Tibullum personam significat.

In Ps.-Tib. autem vel exstat dativus personae (IV. 5. 3) vel pro eo elocutio praepositionalis (III. 6. 41) et pro accusativo objecti semel adverbium in eodem versu.

4. do.

a. Tib. I. 4. 16. Sub juga colla dabit.
I. 8. 56. Ipse dedit cupidis fallere posse deus.
II. 1. 45. Dedit uva liquores.
II. 3. 40. Rostra dedit ratibus.
II. 4. 48. Serta dabit tumulo.
II. 5. 119. Pia det spectacula turbae.
b. Ps.-Tib. III. 3. 6. Et magnas messes terra benigna daret.
III. 4. 47. At mihi posse videre dedit.
III. 5. 10. Nec cuiquam trita venena dedit.
III. 6. 16. Indomitis mollia corda dedit.
IV. 1. 80. Dedit his erroribus orbem.
IV. 5. 1. Qui mihi te, Cerinthe, dies dedit.
IV. 5. 4. Dederunt regna superba tibi.

Usus igitur Tibullianus et Pseudo-Tib. excepto uno loco I. 4. 16, ubi pro dativo praepositio „sub“ adhibita est, idem est. Conjungitur enim verbum cum dativo personae (quae raro omittitur: II. 1. 45; III. 3. 6. et accusativo objecti, pro quo nonnunquam infinitivus exstat (I. 8. 56; III. 4. 47,) qui usus apud Vergilium frequens est (Aen. I. 79: „Das epulis accumbere,“ Aen. V. 347: „Magnum dat ferre talentum.“)

5. dico.

Tib.: I. 2. 11. Et mala si qua tibi dixit dementia.
I. 3. 31. Tibi dicere laudes.
I. 6. 55. Et tibi nescioquas dixit . . poenas.
I. 10. 31. Ut mihi . . possit sua dicere facta.
II. 1. 54. (Carmen) ut ornatos diceret ante deos.
II. 5. 94. Cum puero dicere verba senem.

Huc accedit locus Ps.-Tib. in IV. 4 14: „Dicit in aeternos aspera verba deos.“ Verbum dicendi significat: „verba facere“ et sic conjungitur cum dativo (I. 10. 31), pro quo semel legitur praepositio „cum,“ ut communio loquendi notetur (cf. II. 6. 34,) vel „ante“ (II. 1. 54.) Si verbo subest notio; „in feindlicher Absicht gegen einen sagen,“ apponitur dativus personae (I. 2. 11, I. 6. 55,) in Ps.-Tib. autem praepositio „in“ adhibetur (IV. 4. 14.) Vergilius semper dativo videtur usus esse.

6. dono.

Apud Tibullum verbum non repperi, in Ps.-Tib. autem exstat in tribus locis:

III. 1. 5. Quonam donetur honore.

III. 1. 17. Cultumque illi donate libellum.

III. 1. 21. „Meritam larga donate salute," et construitur, ut solet, dupliciter, aut donare alicui aliquid aut aliquem aliqua re, sed donare alicui aliquid habere," quod apud Vergilium nonnunquam occurrit, in nostris libris non reperitur. (Aen. V. 260—62: „Loricam donat habere viro," cf. Forbigeri adnotationem ad hunc locum.)

7. fingo.

I. 5. 19. At mihi felicem vitam fingebam.

I. 8. 65. Dum mihi venturam fingo.

II. 6. 51. Tunc mens mihi perdita fingit, quisve meam teneat.

Conjungitur igitur verbum fingendi ubique cum dativo personae, pro accusativo autem objecti in versu II. 6. 51 exstat interrogatio indirecta.

Huc accedit unus locus Ps.-Tib. in III. 4. 68: „Non est in vanum fabula ficta jocum," ubi exstat praepositio „in" cum accusativo conjuncta, scilicet ut finis sive consilium significetur. (Cf. Aen. VII. 757: „Neque eum juvere in vulnera cantus," saepius autem dativus occurrit: Georg I. 173: „Caeditur tilia jugo.")

8. fero.

I. 5. 27. Illa deo sciet agricolae . . uvam ferre.

II. 6, 31. Dona sepulcro feram.

Huc accedit unus locus Pseud.-Tib:

IV. 1. 9. Phoebo gratissima dona Cres tulit.

Dativus igitur significat personam (I. 5. 27; Ps.-Tib. IV. 1. 9) et rem (II. 6. 31.)

9. fundo.

I. 10. 48. Funderet ut nato testa paterna merum.

Ps.-Tib. III. 6. 6, Et nobis prona funde Falerna manu.

10. juro.

I. 9. 31. Tunc mihi jurabas . . . te vendere velle fidem.

(Sic „te" praebet codex G, „nullo tibi" codices A et V, quod non placet omisso pronomine „te," quod desideratur, etsi, ut

Dissenius monet, in I. 3. 27 omissum est: „nam posse mederi picta docet tabella."

IV. 13. 15. Hoc tibi sancta tuae Junonis numina juro.

Pro accusativo objecti constructio infinitivi exstat in I. 9. 31, in altero autem loco persona, per quam juratur, ponitur in accusativo nudo, cujus usus exempla laudavit Dissenius in pag. 463, contra in loco Pseudo-Tib. III. 6. 47: „Etsi perque suos . . . jurabit ocellos" exprimitur praepositione, quae est „per" et accusativo.

Apud Vergilium eodem modo persona, per quam juratur, in accusativo ponitur nudo: Aen XII. 197: „Terram, Mare, Sidera juro," Aen. VI. 351 „Maria aspera juro;" dativum autem in his Vergilius non addidit.

11—12 mitto, nego.

II. 5. 44. Deum caelo miserit Indigetem.

II. 6. 37. Ne tibi . . mittant mala somnia Manes.

IV. 13. 13. Mittatur amica Tibullo.

II. 3. 80. Non ego me vinclis nego.

Pseudo-Tib: III. 1. 23. Haec tibi vir mittit.

III. 6. 15. Ferocem dominae misit in arbitrium.

Apud Tibullum verbum mittendi conjungitur cum dativo sive personae (II. 6. 37; IV. 13. 13) sive rei (II. 5. 44) et accusativo objecti, in Pseudo-Tib. exstat vel dativus personae (III. 1. 23) vel elocutio praepositionalis (III. 6. 15). De hoc dativo jam in priore hujus dissertationis parte tractatum est. Errat igitur Schroeter, qui hunc dativum in „o" exeuntem apud Tibullum occurrere in l. l. p. 9 negat. Hic dativus dependens a verbis motum significantibus apud Vergilium frequentissimus est. cf. Dittelii l. l. p. 22.

Verbum negandi cum dativo conjunctum uno loco Tibulliano (II. 3. 80) legitur.

13. opto.

I. 3. 82. Optavit lentas et mihi militias.

Eadem est structura in versu Ps.-Tib.

IV. 4. 26. Optabunt artes et sibi quisque tuas.

14. nudo.

Hoc verbum uno loco reperitur: Ps.-Tib. IV. 7. 2. Qualem texisse quam nudasse alicui.

15—16. pario, paro.

I. 6. 27. Somnium peperi tibi.
IV. 13. 20. Hoc peperit misero garrula lingua malum.
I. 5. 34. Huic paret atque epulas ipsa . . gerat (h. e. huic paret epulas atque , . .)
II. 4. 1. Hic mihi servitium video dominamque paratam.
Ps.-Tib. IV. 6. 8. Juveni mutua vincla para.

Dativus igitur ubique est personae.

17. porto.

In Pseudo-Tib. non occurrit verbum, loci autem Tibulliani sunt hi:

II. 2. 18. Conjugio vincula portet Amor.
II. 6. 8. Qui sibi portet aquam.

Verba nunc enumeranda omnia conjuncta sunt cum dativo et accusativo objecti:

18) praebeo: II. 3. 57: Illi praebere colores.
Ps.-Tib. IV. 1. 132. Tuis precibus se praebuit.
19) precor II. 6. 17: Mihi dira precari.
II. 6. 53. Tunc tibi, lena, precor diras. (cf. verbum dicendi in pagina 28)
20) solvo II. 1. 7. Solvite vincla jugis.
II. 1. 28. Solvite vincla cado.
(cf. Verg. Ecl. IV. 41: „Tauris juga solvit arator," genetivus in talibus enuntiatis etiam apud Vergilium perrarus est, quod monuimus in pagina 13.
21) sumo .II 5. 107; Sumpsit sibi tela Cupido.
22) spondeo II. 6. 27. Nemesim spondet mihi.
23) servo I. 5. 23. Aut mihi servabit uvas I. 6. 76. Te mihi servet amor.
24) traho II. 3. 47: At tibi (Hiller: mihi) laeta trahant Samiae convivia testae.
25) vendo I. 9. 77. Blanditiasne meas aliis tu vendere es ausus?
26) voco II. 1. 83. Cantate deum pecorique vocate II. 5. 65. Et te sibi, Phoebe, vocavit; Contra in carminibus Ps.-Tib. semel legitur praepositio, quae est „in": III. 3. 37: Me vocet in vastos amnes. Huc accedunt nonnulli loci Pseudo-Tibulliani:

1) propero. IV. 1. 205: Celerem properat mihi mortem.
2) relego: IV. 6. 5. Causas tibi, diva, relegat.
3) statuo: IV. 1. 203. Mihi statuent finem.
4) tribuo: IV. 1. 192. Tibi Pierii tribuentur honores.
IV. 4. 19. Laus magna tibi tribuetur in uno corpore servato restituise duos.

In versu IV. 4. 19 pro dativo rei legimus nominativum, ut fieri solet, ubi subjectum est infinitivus. Omnino in Ps.-Tibullianis dativum duplicem non occurrere, jam supra monitum est (pag. 15).

Denique, quod attinet ad verbum querendi in versu II. 6. 34: „Et mea cum muto fata querar cinere," haec structura eadem est, quam sub verbo dicendi in pag. 28 num. 5 repperimus.

Postquam de verbis simplicibus tractatum est, liceat hoc loco aliquid de dativo cum passivis formis verborum simplicium conjuncto proferre.

Ac primum quidem monendum videtur apud Tibullum verba passiva cum dativo conjuncta tantummodo in formis gerundivi obvenire exceptis duobus locis I. 9. 71, ubi exstat: „Non tibi vult bella videri" et IV. 13. 5. In Pseudo-Tibullianis autem aliae quoque formae occurrunt, videlicet bis praesens passivi (agatur, celebrantur), semel perfectum passivi (compertumst), bis part. perf. pass. (III. 4. 6; IV. 1. 139.) Apud Vergilium denique vel part. fut. pass. vel perfectum pass. vel alia tempora passivi cum dativo conjunguntur.

Exempla autem Ps.-Tib., ubi verbum finitum obvenit, haec sunt:

III. 5. 29: At vobis Tuscae celebrantur numina lymphae,
IV. 9. 3: Omnibus ille dies nobis natalis agatur.

Videmus his locis dativum cum passivo conjunctum, qui usus et ipse ex primaria dativi indole ducendus est, nec licet dicere, eum pro ablativo et praepositione usurpari. Multum enim interest inter structuram utramque. Ablativo exprimeretur, rem mechanice, si licet dicere, perfectam esse ab aliquo, contra dativus clare et graphice depingit animi affectus ejus, qui rem gerit. E. g. in IV. 9. 3. poeta non simpliciter dicit, diem a nobis agi simulato gaudio et amicitia, ritibus

tantum et caerimoniis observatis, sed dicere vult, diem a nobis agi cum amore et amicitia intima.

Hic dativus creberrime apponitur participiis passivis. Adnotavimus haec:

a. loci Tibulliani.

1) colendus: II. 4. 52: Est nobis colendus amor.
2) cupiendus: I. 8. 40: Nulli sit cupienda viro.
3) evigilandus: I. 8. 64: Est mihi nox evigilanda.
4) parandus: II, 4. 21: At mihi sunt dona paranda.
5) violandus: II. 4. 24: Venus est violanda mihi.

b. loci Pseudo-Tibulliani.

α) verbum finitum:

IV. 1. 119: Compertumst mihi.

β) participia, quae stant pro enuntiato relativo:

1) part. fut. pass.:

III. 4. 92: Duris non habitanda domus.
III. 5. 7: Nulli temeranda virorum sacra.

2) part. perf. pass.:

III, 4. 6: Tuscis exta probata viris.
IV. 1. 139: Theraeo tellus obsessa colono.

Transitiva composita.

1. ad.

Verba cum praepositione „ad“ composita apud Tibullum ubique cum dativo sive personae sive rei conjunguntur, Vergilius plerumque quidem dativo utitur, sed nonnunquam praepositionem admittit e. g. in Aen. IV. 25: „adigat me fulmine ad umbras,“ Georg III. 455: „Medicas adhibere manus ad vulnera“ (cf. contra locum Pseudo-Tib. IV. 4. 4: „Formosae medicas adplicuisse manus.“)

1. addo: II. 4. 42: Flammae addat aquam.
2. adduco: I. 6. 59: Haec mihi te adducit.
3. affero: I. 7. 41: Requiem mortalibus affert.
   II. 4. 36: Quale bonum multis attulit ille malis.

3. adflo: II. 4. 57: Gregibus Venus adflat amores.
(cf. pag. 24. num. 3.)
4. adjungo: I. 7. 33: Palis adjungere vitem.
I. 9. 7: Tauros adjungit aratro.
5. adnuo: II. 2. 9: Adnuat et Cornute tibi quodcunque rogabis.
6. adsigno II. 5. 41: Tibi Laurentes adsignat Juppiter agros.

Loci Ps.-Tibulliani, quorum structura cum Tibullo congruit, sunt hi:
addo: IV. 1. 133: Additus aris.
2. admoveo: III. 5. 11: Templis admovimus ignes
3. adplico: IV. 4. 4: Formosae medicas adplicuisse manus.

De loco autem IV. 7. 4: „attulit in nostrum . . sinum" supra tractatum est in pagina 13.

2. ab.

abduco: II. 3. 61: Nemesim qui abducis ab urbe.

Expressa est igitur notio localis praepositione quae est „ab" et nomine loci (ab urbe). Cf. Verg. Georg II. 23: „plantas tenero abscindens de corpore matrum"). In Ps.-Tib. autem verbo auferendi semel appositus est dativus personae: III. 1. 27: „Spem illi auferet." et semel pro dativo pronominis personalis exstat possessivum III. 6. 3: „Aufer et ipse meum dolorem." De hac re cf. pag. 13.

3. con.

1. committo: I. 7. 21: Commisit semina terrae.
2. comparo: I. 10. 42: Fesso comparat aquam.
3. compono: I. 2. 53: Haec mihi composuit cantus.
I. 2. 91: Et sibi blanditias componere.
I. 6. 4: Insidias homini composuisse deum.
3. concino; II. 5. 10: Laudes concinuisse Jovi.
4. congero. I. 1. 1: Divitias alius sibi congerat.
5. consero: I. 8. 26: Femori conseruisse femur.
6. contribuo: I. 6. 64: Proprios ego tecum annos contribuisse velim.

Haec quoque verba dativo favent et personae et rei. Semel in I. 6. 64 praepositio iterata est, quod apud Tibullum rarissime fit (Cf. pag. 28. num. 5.)

Vergilius plerumque dativo favet et ipse, sed Ciris 485 exstat praepositio, quae est „inter“: „Infidosque inter teneram committere pisces.“

Loci Pseudo-Tibulliani, qui a structura Tibulliana non recedunt, sunt hi:

1. committo: IV. 1. 196: Corpus committere flammae.
2. compono: IV. 1. 16: Tibi componere versus.
   IV. 7. 9: Vultus componere famae taedet.
3. concedo: IV. 3. 23: Studium concede parenti.
4. contexo: III. 4, 33: Contexunt amarantis alba puellae lilia.
   IV. 1. 22: Huic et contextus.

(Hoc igitur verbum conjunctum est cum dativo ejus nominis, quocum aliquid contexendo copulatur.)

4. de.

1. dedico: I. 9. 83: Hanc tibi Tibullus dedicat.
2. deduco: I. 3. 86: Deducat plena stamina longa colu.
   I. 5. 65: Ad occultos deducet amicos.
   I. 8. 21: E curru lunam deducere.
3. depello: I. 2. 49: Tristi depellit nubila caelo.
   I. 10. 25: At nobis aerata depellite tela.
4. deripio: I 2. 82: Sertaque de sanctis deripuisse focis.
   I. 10. 60: E caelo deripit ille deos.
5. detraho: I. 5. 31: Cui dulcia poma Delia selectis detrahat arboribus.
   I. 5. 61: Vinclaque de niveo detrahet ipse pede.
   II. 1. 73: Hic juveni detraxit opes.

Huc accedunt loci Ps.-Tib.:

deduco: III. 4. 31: Juveni virgo deducta marito.
denuntio: III. 5. 5: At mihi Persephone nigram denuntiat horam.

Firmam rectionem horum verborum lingua constituisse non videtur. Videmus enim promiscue dativum et ablativum et elocutionem praepositionalem usurpari vel a Tibullo vel in Ps.-Tib. vel a Vergilio (e, g. „demittere neci“ Aen. II. 85. vel „demittere duras in auris Aen. IV. 428 vel „vaginaque cava fulgentem deripit ensem“ Aen. X. 475. Forbiger autem plurimos codices secutus scribit „diripit.“) In universum

autem nomina personam significantia in dativo ponuntur (I. 5. 31) vel exstat praepositio, quae motum in locum notat (I. 5. 65), nomina autem, quae rem significant, motum ex aliquo loco exprimunt et conjunguntur vel cum ablativo solo (I. 3. 86.) vel cum praepositionibus, quae sunt „de" (I. 2. 82) vel „ex" (I. 10. 60.)

5. ex.

1. excutio:	II. 6. 12:	Mihi excutiunt clausae fortia verba fores.
2. exhibeo:	II. 1. 61:	Curam exhibitura puellis
3. expello:	II. 3. 14:	Stabulis expellere vaccas.
Ps.-Tib.	IV. 4. 1:	Morbos expelle puellae.
4. eripio:	II. 4. 40:	At tibi eripiant partas ventus et ignis opes.
	II. 5. 91:	Natusque parenti oscula eripiet.
Ps.-Tib.	III. 2. 1:	Puellae eripuit juvenem.
5. exstruo:	II. 5. 99:	At sibi quisque dapes exstruet.

Ex his quoque exemplis apparet nomina personae in dativo ubique poni vel a Tibullo vel in carminibus Ps.-Tib., nomina autem rei in ablativo (II. 3. 14.) Vergilius dativo uti videtur solere, in Aen. I. 596 autem exstat praepositio, quae est „ab"; „Aeneas Libycis ereptus ab undis."

6. in.

Tibullus videtur tantum dativum admittere, in carminibus autem Ps.-Tib. vel dativus (III. 6. 64) vel ablativus (III. 3 13) vel praepositio, quae est „in" (IV. 1. 38) adhibita esse videntur, Vergilius denique plerumque dativo utitur, rarius ablativo (Aen. VI. 174: „Virum spumosa immerserat unda") vel praepositione iterata (Aen. X. 576 „infert se in medios.")

Exempla sunt haec:

1. immisceo:	I. 3. 63:	Series immixta puellis.
2. implico:	I. 4. 56:	Collo se implicuisse.
3. impono:	II. 1. 10:	Pensis imposuisse manum.
	II. 1. 60:	Coronam fecit et antiquis imposuit Laribus.
4. ingero:	II. 1. 22:	Ingeret ardenti ligna foco.
	II. 1. 49:	Flores apis ingerit alveo.
	II. 5. 101:	Ingerit juvenis maledicta puellis.

Ps,-Tib. III. 6. 64: Sertis „implicuisse“ comas.
inscribo: IV. 1. 38: Inscribam nomen in actis.
intexo: IV. 1. 5: Chartis intexere quisquam facta queat.

7. ob.

offero: I. 4. 55: Rapta dabit primo, mox offeret ipse roganti.
I. 6. 1: Blandos offers mihi voltus.
Ps.-Tib. IV. 1. 148: Tibi sese offeret.

Dativus igitur ubique est personae. Vergilius nonnunquam (Aen. XII. 372: objecit sese ad currum Aen. IX. 379: obiciunt equites sese ad divortia nota.), Catullus semel praepositionem „ad“ admittit (26. 1 villula nostra non ad Austri flatus oppositast.“), plerumque autem dativo utuntur aeque atque Tibullus.

8. per. 9. prae.

1. permitto: I. 9. 25: Ipse deus tacito permisit ministro, ederet ut verba.
Ps.-Tib. IV. 1. 92: Tardo (equo) permittere habenas.
2. persolvo: I. 9. 13: Jam mihi persolvet poenas.

Vergilius haec verba similiter adhibet (cf. Dittelii pag. 10.)

1. praecino: I. 8 4: Praecinit eventus nec mihi cantus avis.
2. praedico: II. 5. 48: Jam tibi praedico necem.

Ps.-Tib.

1. IV. 6. 15: „praecipiat“ natae, quod optet.
2. IV. 1. 83: Castris „praeducere“ fossam.
3. IV. 1. 178: Mihi non si „praescribat“ carmina Phoebus.

Apud Tibullum dativus ubique est personae, in Ps.-Tib. vel legitur dativus personae (IV. 1. 178) vel rei (IV. 1. 83), ubi notio localis est: „castris praeducere fossam.“ Vergilius et dativo utitur et ablativo, quem in nonnullis verbis praeferre videtur, e. g. in verbo praetexendi, et semel praepositione „in“: Aen. IX. 465: „In hastis praefigunt capita.“

10. pro.

1. profero: II. 1. 27: Nunc mihi fumosos proferte Falernos.
2. promitto: II. 6. 49: Ubi nox promissa mihist.
3. prosum: I. 3. 23: Quid mihi prosunt?
II. 4. 51: Sed prosunt quid mihi vera?

Ps.-Tib.:

III. 3. 11: Quid prodest pondus mihi auri?
III. 4, 79: Hoc tibi conjugium promittit Delius.
III. 5. 33: Pecudes promittite Diti.

Dativus igitur ubique est personae. Verbum, quod est prosum, accusativum objecti semper praebet formam „quid" excepto uno loco: II. 4. 15 „Si non prodestis amanti."

11. sub.

1. subdo: I. 2. 90: Vinclis subdere colla.
2. suppono: I. 8. 33: Huic tu candentes humero suppone lacertos.
II. 1. 42: Plaustro supposuisse rotam.
3. subduco: IV. 13. 1: Nobis subducet femina lectum.

Ps.-Tib.

1. subdo: IV. 1. 67: Subdita regno proles.
2. subicio: IV. 1. 117: Subjecit colla catenae.
IV. 1. 158: Semper subjecta calori.
3. submitto: IV. 1. 170: Colla jugo submittere.
4. subtexo: IV. 1. 211: Subtexam carmina chartis.

Tibullus igitur dativo et personae (I. 8. 33) et rei (I. 2. 90 II. 1. 42) utitur notione partim translata (I. 2. 90) partim locali (II. 1. 42; I. 8. 33); in Pseudo-Tib. dativus ubique est rei, notio translata. Vergilius denique plerumque dativum adhibet, rarius ablativum (Georg. I. 430: „Suffuderit ore ruborem.") vel praepositionem (Aen. VII. 347: „Anguem conjicit inque sinum subdit"). Ciceronem vel dativum vel praepositionem „sub" usurpare docuit Draeger I. 422.

Denique tractandum erit de verbis syllabis „dis" et „red" compositis.

1. dis.

Unum verbum inveni: dispono: I. 9. 67: „Pro te disponere crines", ubi pro dativo personae exstat praepositio, quae est „pro" cf. III. 6. 4: „Sic cecinit pro te doctus Catullus."

2. red.

1. reddo: I. 3. 34: Reddereque antiquo menstrua tura Lari.
2. refero: I. 3. 11: Illi rettulit omina certa puer.
I. 3. 85: Haec tibi fabellas referat.

3. remitto: II. 4. 4: Misero vincla remittit Amor.
4. renovor: II. 6. 41: Ne dominae luctus renoventur acerbi.
5. respondeo: I. 4. 8: Tum Bacchi respondit proles:
Armatus curva sic mihi falce deus.

b. Ps.-Tib.

1. reddo: III. 6, 31: Reddamus tempora mensae.
2. refero: III. 1. 19: Illa mihi referet, si nostri mutua curast.
III. 4. 78: Haec illi dicta refer.
III. 5. 26: Et referam pueris tempora prisca.
8. relego: IV. 6. 5: Causas tibi, diva, relegat.

Apud Tibullum ubique dativus personae exstat, idemque cadit in Pseudo-Tib. uno loco excepto: III. 6. 31, ubi dativus est rei. Praepositionem autem non inveni. Vergilius autem et dativo utitur (Aen. XI. 594: „Corpus et arma reponere patriae; Georg. I. 339: „Sacra refer Cereri,“ Aen. V. 419: „Tibi terga remitto“) et ablativo (Aen. X. 473: „Oculos rejicit arvis = avertit) et praepositionibus, quae sunt „in“ (Aen. I. 253; „Nos in sceptra reponis“) „ad“ (Aen. II. 525: Recepit ad sese“) „a, de“ (Aen. IV. 656: „Poenas „a“ fratre recepi,“ Aen. V. 360: „De poste refixam.“)

In versu autem II. 6. 41 (renovor) formam, quae est dominae, putaverim esse dativum, cum Tibullus omnino tertio casui in talibus enuntiatis magnopere faveat (cf. pag. 12). Similis videtur usus verbi ponendi in versu I. 2. 5: „Nam positast nostrae custodia saeva puellae.“ Cf. Caes. bell. gall. I. 20. 6; „Dumnorigi custodes ponit.“ Denique verbum relinquendi ad exprimendum locum in v. II. 5. 54 cum praepositione „ad“ conjunctum est: „Ad ripas arma relicta,“ et in versu I. 4. 8 (respondeo) exstat pro accusativo objecti adverbium „sic.“

Ex iis, quae attulimus, exemplis, apparet et Tibullum et auctores carminum Ps.-Tib. dativo vel maxime favere et rarissime elocutionem praepositionalem admittere, idemque in Vergilium in universum quidem cadit.

V.

Dativus cum substantivis, adjectivis, adverbiis, interjectionibus conjunctus.

A. Substantiva.

Apud Tibullum hic dativus substantivo appositus semel occurrit: II. 1. 34: „Et magna intonsis gloria victor avis (cod. A = ades), huc ades,“ in Ps.-Tib. bis legitur:

1. decus: IV. I. 32: „Sed generis priscos contendis vincere honores,
Quam tibi majores majus decus ipse futuris.“

2. auctor: III. 1. 15: Per vos, auctores hujus mihi carminis, oro.

In loco igitur Tibulliano nomen, quocum dativus cohaeret, appositionis loco additum est personae, quae praedicato subest, in Ps.-Tib. autem aut personae praedicati (IV. 1. 32) aut pronomini personali (III. 1. 15). Enuntiata autem appositiva sunt relativa quasi amputata, ac si enuntiatum relativum ponamus, hi dativi eidem sunt, quos supra vidimus cum verbo substantivo conjunctos. E. g. in versu III. 1. 15 dictum est: „Vos auctores mihi“ pro: „Vos, qui mihi estis auctores.“

Apud Vergilium denique et Propertium hic dativus saepius occurrit. Cf. Dittelii l. l. pag. 7 et Hoerle: De casuum usu Propertiano pag. 44.

B. Adjectiva.

Adjectiva partim cum copula sunt conjuncta partim non sunt.

a. Copula addita aut supplenda est:

1. acerbus: I. 6. 84: Infidis quam sit acerba.
2. asper: I. 6. 2: Es misero tristis et asper.
3. conscius: I. 7. 48: Levis occultis conscia cista sacris.
I. 9. 41: Verbis ne quisquam conscius esset.
(Copula ex I. 7 43 supplenda est)
4. deditus: I. 1. 26: Deditus esse viae.
5. durus: I. 6. 69: Et mihi sint durae leges.
6. difficilis: I. 8. 27: Difficilis puero esse.
7. facilis: I. 3. 57: Facilis tenero sum semper Amori.
8. formosus: IV. 13. 4: Formosast oculis meis.
9. fidus: I. 6. 77: Quae fida fuit nulli.
10. lentus: II. 6. 36: Sis mihi lenta.
21. levis: II. 4. 50: Terraque securae sit super ossa levis.

12. magnus: IV. 13. 16: Est tibi (Hiller: mihi) magna.
13. mitis; I. 4. 53: Tum tibi mitis erit.
14. notus: I. 8. 57: Nota Venus furtiva mihist.
15. obvius: I. 3. 91: Tunc mihi obvia . . curre.
(verbum currendi exstat loco copulae.)
16. sanctus: II. 6. 31: Illa mihi sanctast.

b. Loci Ps.-Tibulliani:

1. aptus: IV. 8. 3: An villa sit apta puellae.
2. arduus: IV. 1. 87: Aditus sit et arduus hosti.
3. facilis: IV. 1. 87: Ut facilisque tuis aditus sit.
4. gratus: IV. 6. 19: Sit juveni gratum.
5. humilis: IV. 1. 4: Humilis tantis sim conditor actis.
6. jucundus: III. 3. 23: Sit mihi paupertas jucunda.
7. notus: IV. 1. 201: Tibi si versus noster sit notus.
8. potior: IV. 1. 199: Non mihi regna
Lydia non magni potior sit fama Gylippi.
9. tristis: IV. 4. 22: Fuerit tristior illa tibi.
10. propior: IV. 1. 180: Propior non alter Homero.

Itaque pleraque adjectiva alia apud Tibullum, alia in Pseudo-Tib. sunt. In his exemplis dativus non cum adjectivo solo conjungendus est, sed cum hoc et copula, quae duo verba unam quasi notionem praebent verbi intransitivi ob eamque causam aeque atque haec dativo apponi possunt.

b. Adjectiva loco attributi.

1. conscius: I. 8. 3: Conscia fibra deorum.
2. fatalis: II. 5. 57: Nomen terris fatale regendis.
3. sacer: II. 5. 30: Fistula sacra deo.
4. sanctus: I. 7. 18: Sancta columba Syro.

Loci Pseudo-Tibulliani:

1. adversus: IV. 1. 84: Adversos hosti cervos.
IV. 1. 116: Huic adversa solo pars altera.
2. carus: III. 4. 51: Tantum cara tibi.
3. contrarius: III. 4. 83: Votis contraria votis.
4. inimicus: III. 6. 55: Nobis inimica.
5. jucundus: IV. 1. 9: Baccho jucundior hospes.
6. nimium: IV. 1. 187: Nimium furi.
7. par. IV. 1. 25: Seu tibi par poterunt.

8. proximus: IV. 2. 20: Proximus Eois aquis.
9. similis: III. 4. 70: Similes chordis sonos.
10. utilis: III. 4. 19: Menti deus utilis aegrae.
11. vicinus: IV. 1. 131: Caelo vicinum liquit Olympum.

Itaque multo frequentior hic usus in Pseudo-Tib. est, quam in Tibullianis. Jam supra dictum est, dativum cum verbo solo conjungi non posse, sed substantiae enuntiati opponi. Sed quid nunc? Multa enumeravimus exempla, in quibus adjectivum cum dativo arctius cohaerere videtur! Res similiter declaranda est atque dativus substantivis appositus, de qua re supra diximus. Adjectiva enim substantivis apposita exstant pro enuntiatis relativis, ac si e. g. pro enuntiato: „Menti deus utilis“ ponamus: „deus, qui menti utilis est,“ hic dativus est idem, quem supra cognovimus cum verbo substantivo conjunctum.

Jam monendum est, adjectivum, quod est conscius, in versu I. 8. 3 cum genetivo (deorum) conjunctum esse, in versu autem I. 7. 48. cum dativo (cf. pag. 40.)

Denique referendum est, Vergilium et Tibullum eidem usui favere, nisi quod semel ille vocem, quae est similis, conjungit cum genetivo in Aen. V. 594: „Delphinum similes,“ et adjectivum, quod est „frigidus“ vel cum praepositione „in“ conjungit (Georg. III. 9 7. frigidus in Venerem) vel cum dativo: „Sed frigida bello dextera“ Aen. XI. 338). Ceterum multa adjectiva in utroque auctore occurrunt: asper, carus, conscius, facilis, fidus, gratus, magnus, notus, obvius, sacer. (aptus, contrarius inimicus, propior, proximus, similis, utilis, vicinus: quae adjectiva omnia sunt Pseudo-Tibulliana.) Cf. Dittelii l. l. pag. 20.

C. Adverbia.

In Tibullianis carminibus nihil ejusmodi repperi et in Pseudo-Tib. unum adverbium, quod est „satis.“

IV. 1. 7: Est nobis voluisse satis.

IV. 1. 187: Et domino satis.

D. Interjectiones.

Exempla notavi haec:

II. 1. 70: Hei mihi quam doctas nunc habet ille manus.
II. 6. 28: Hei mihi ne vincas, dura puella, deam.
Pseudo-Tib. III. 6. 33: Hei mihi, difficilest imitari gaudia falsa.

Haec interjectio, quae est „hei," reperitur etiam apud Vergilium: Aen. II. 274: „Hei mihi, qualis erat((cf. Forbigeri adnotationem ad locum.) Exprimunt autem hae interjectiones affectum animi, ac si de origine dativi iis appositi quaeramus, dativus nobis videtur dependere a sententia enuntiati sequentis, quae quasi causam affectus animi praebet.

VI.

Omnium earum quas protulimus, rerum summam si faciamus, facile apparebit primum quidem, Tibullum cum Vergilio congruere longe maxime ex eoque fere pendere, deinde inter Tibullum et carmina Pseudo-Tibulliana, quae intercedant, similitudines permultas esse, dissimilitudines paucas. Quod nunc paucis verbis exponere liceat, ita ut dispositionem faciamus pro gravitate similitudinum ac dissimilitudinum.
Atque longe simillimus quidem apud Tibullum et Vergilium usus est dativi verbis transitivis appositi simplicibus; quin etiam pleraque ejusmodi verba apud utrumque auctorem leguntur. Quod attinet ad verba transitiva composita, in his quoque similitudo, quae intercedit, magna est, ac frequentissimus quidem dativus est appositus verbis cum praepositionibus, quae sunt „ad, con, ob, pro" compositis. Raro enim ab utroque poeta praepositio eadem vel similis iteratur, raro pro dativo, qui exceptis verbis cum praepositionibus „de" et „ex" compositis apud Tibullum ubique adhibetur, a Vergilio ablativus vel elocutio praepositionalis admittitur. (E. g. Vergilius cum verbis cum praepositione „in" compositis vel ablativum vel praepositionem „in" et accusativum conjungit, idemque cadit in verba cum praepositione „sub" composita; idemque poeta verbis cum praepositione „prae" compositis praeter dativum nonnunquam ablativum vel praepositionem „in" c. abl. apponit.)

Eadem quoque structura est verborum cum praepositionibus „de" et „ex" compositorum. Conjunguntur enim et cum dativo vel praepositione cum accusativo, si persona, et cum ablativo nudo, si res notatur. (Tibullus etiam praepositiones, quae sunt „a, de, ex" admittit). Nec minus usus Tibullianus cum Vergiliano congruit in adhibendo dativo verbis simplicibus intransitivis apposito.

Verbum substantivum cum dativo conjunctum simili modo ab utroque scriptore usurpatur, sive judicium, sive possessio exprimitur, sive dativus pro genetivo ponitur, quod saepissime fieri solet. Qua ratione inter se differant, infra demonstrabitur.

Denique usus adjectivorum consimilis est, et dimidium fere adjectivorum, quae apud Tibullum obveniunt, etiam in

Vergilianis leguntur (asper, conscius, facilis, fidus, gratus, notus, obvius, sacer.)

Sed jam transeamus ad dissimilitudines, quae inter Tibullum et Vergilium intercedunt, paucas. Atque primo loco observari potest, Tibullum a Vergilii usu recedere eo, quod hic illo multo magis favet dativo duplici. Apud Tibullum enim dativus duplex nisi verbi, quod est cura, omnino non reperitur, poniturque pro dativo finali nominativus rei, praesertim ubi subjectum est infinitivus. Praeterea verbum substantivum cum dativo duplici conjungitur unum. Apud Vergilium contra praeter verbum substantivum alia occurrunt multoque saepius dativus duplex est quam nominativus rei. In simplicis quoque dativi usu Tibullus a Vergilio aliquo modo recedit. Inveniuntur enim apud Tibullum plerumque dativi pronominis primae et secundae personae et perraro aliud pronomen vel substantivum locum habet, Vergilius autem dativum substantivorum non tam anxie evitat. Denique ubi dativus pro genetivo exstat, Tibullus nunquam formis, quae sunt „hujus" vel „cujus" utitur, Vergilius contra genetivum pronominis relativi nonnunquam admittit.

Secundo loco ponam dissimilitudines, quae intercedunt inter Tibulli et Vergilii usum dativi substantivis appositi. Apud Tibullum enim hic dativus semel reperitur, apud Vergilium multo saepius.

Denique ne usus quidem dativi a passivis formis dependentis idem est. Tibullus enim hunc dativum tantummodo conjungit cum forma, quae est „videri" et cum part. fut. pass.; Vergilius contra vel part. fut. pass. vel perf. pass. vel aliis temporibus pass. utitur.

Tibullus et Pseudo-Tib. inter se comparantur.

Similitudines, quae inter Tibullum et Pseudo-Tib. intercedunt, longe maximae sunt. Ac primum quidem, quod attinet ad usum dativi simplicis a verbo substantivo dependentis, nihil fere discriminis est, nisi quod in Pseudo-Tib. forma, quae est „illius" admittitur, ubi plerumque et apud Tibullum et in Pseudo-Tib. dativus pro genetivo exstare solet.

Deinde structura verborum transitivorum et intransitivorum simplicium eadem est excepto verbo certandi, quod in Pseudo-Tib. ad analogiam linguae graecae cum dativo aeque atque apud Vergilium conjungitur; itemque usus verborum transitivorum compositorum apud poetas idem est, nisi quod verba cum praep. „in" composita praeter dativum in Pseudo-Tib. admittunt ablativum et nudum et cum praepositione „in" conjunctum. Denique, quod attinet ad dativum substantivis appositum, perraro haec structura locum habet. (Apud Tibullum semel, in Pseudo-Tib.: bis.)

Sed ut de dissimilitudinibus verba faciam, Tibullus, ut vidimus, dativo duplici unius verbi curae utitur, in Pseudo-Tib. omnino non reperitur haec structura. Deinde pleraque verba intransitiva composita Tibulli in Pseudo-Tib. non occurrunt, ubi tantummodo verbum, quod est adsum, cum dativo conjunctum obvenit.

Etiam usu dativi a formis passivis dependentis aliquo modo differunt, cum in Pseudo-Tib. non solum part. fut. pass. reperiatur, sed etiam praesens pass. (celebrantur) et perf. pass. et part. perf. pass., ita ut hoc usu auctores carminum Pseudo-Tib. cum Vergilio potius congruant.

Denique quod attinet ad usum adjectivorum, pleraque sunt alia apud Tibullum, alia in Pseudo-Tib.

Quae omnia si in unum colligamus, Tibullus videtur ex Vergilio fere pendere et auctores carminum Pseudo-Tib., quod attinet ad usum dativi, maxime Tibullo usos esse duce facile reperiemus, rarius illi praeposuisse Vergilium.

Vita.

Natus sum Henricus Iber a. d. XVI. Kal. April. anni hujus saeculi LVII. in Hassiae pago, qui vocatur Wasenberg, patre Henrico et matre Elisabetha e gente Knoch, quam patre mortuo adhuc superstitem esse quam maxime gaudeo. Examine maturitatis in gymnasio Hersfeldensi superato, Marpurgum me contuli, ut litteris philologicis me dederem. Per sex semestria lectiones virorum doctissimorum Bergmann, Caesar, Lucae, Niese, Nissen, Rein, Leop. Schmidt, Varrentrapp audivi, quibus omnibus gratias semper habebo maximas. Examine pro facultate docendi superato ubi officiis militaribus satisfeci, in gymnasio Fuldensi artem docendi exercere coepi ac deinde realprogymnasio Schmalcaldico ascriptus sum, ubi adhuc versor.

Formis descripsit
F. Willisch, Schmalcaldensis.